

Dilecte in Christo filie salutem et apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis per dilectum filium Michaelen de Lauton fratrem militem sancti Iohannis Hierosolimitani Monasterij uestrum Procuratorem, quod cum dictum Monasterium quod in quadam Heremo loco, palustri ea de causa erectum pridem fuit, ut inuen-
 tionis imaginis beate Marie qua inibi in quadam palude miraculose olim reperta fuerat memoriam, et in tempore aegritudinis, propter aquarum ibi
 dem abundantiam, et stagnantium corruptionem, semper laborauerit, et adhuc laborat, unde multe et periculose infirmitates generantur, et quo antea fuerant illi-
 us Priorissa, et Moniales, qua etiam sub gubernio, et obedientia magni Magistri Hospitalis predicti degitis, et illius habitum gestatis uotum clausura nunquam emissis,
 minusque illam seruastis, quinimo clara memo. sanctia Aragonum Regina, qua Monasterium ipsum fundauit, ad eam clausuram uos non teneri uoluit, et ut sa-
 nitati incolumitatiq. Monialium in eo pro tempore degentium prospiceret, in ipsa fundacione plures constitutiones, et statuta circa exeundi a Monasterio licen-
 tiam, ac modum tempusq. extra illud manendi pro uitandis, curandisq. infirmitatibus monialium condidit, et apostolica auctoritate confirmari obtinuit, qui-
 bus tamen decenter utentes, nunquam primariam illam regularem obseruantiam omisistis, ut etiam nuperime apparuit, cum Monasterio ipso de fe. re. Pij PP. quinti
 predecessoris nostri mandato per dilectum filium Castellanum Empeset, paulo ante uisitato, uestra ibi regulam pristinum retinuisse candorem ordinemq. repertu
 fuerit. Ad quod etiam accedit, quod cum uos postea Pius predecessor pridem per secundam suam perpetuo ualituram, constitutionem, omnibus monia-
 libus e suis Monasterijs egressum, tribus exceptis duntaxat causis prohibuerat, ut primum illa uobis innotuit, cum de altera, qua prius emanauerat,
 tiam non habuissetis illam seruare desiderantes, e monasterio uestro minime exiisistis, et propterea in uarias, et tam graues infirmitates incidis-
 it, ut multe ex uobis etiam adulescentula eis egritudinibus confecti, immatura morte intrinsece, unde necessitate huiusmodi urgente, optimorum medicorum
 istarum partium, etiam iuratorum communi sententia affirmatum est, nisi uos a Monasterio uestro ualeudinis curanda causa per aliquod tempus egredia-
 mini, uos in maximum, et euidentis uite uestra, discrimen citra ullam conualescendi spem adductum iri. Quare idem Michael uestris nominibus nobis humiliter
 supplicauit, ut uobis in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur tam ad premissa debitum respectum habentes, quam
 dilecti filij nobilis Viri Iohannis de Zuniga, pro Charissimo nobis in Christo filio Philippo Hispaniarum Rege Catholico, sub cuius protectione Monasterium
 predictum existit, apud nos, et sedem Apostolicam oratoris, qui nobis super hoc etiam humiliter supplicauit eundemq. Philippum Regem ad deciderari assere,
 uotis annuere cupientes, uosq. et uestrum quamlibet, a quibuscumque excommunicationis suspensionis, et interdicti alijq. Ecclesiasticis sententijs, censuris et penis
 a iure uel ab homine, quauis occasione, uel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum prout duntaxat consequendu hanc serie
 absoluentis, et absolutas fore consentis, hmoi supplicationibus inclinati, uobis, et uestrum cuiq. libet, ut de utriusq. Medici consilio, ac habita prius a superiori
 uestro licentia, quotiescunq. ingruent periculosa infirmitas pro illa curanda absq. conscientia scrupulo, uel alicuius poene incurri, Monasterium p. exire et
 ad Domos parentum, seu consanguineorum uestroru accideri, et ibi per congruum tempus predicta ex causa duntaxat manere, et deinde ad illud redire, libe-
 re, et licite ualeatis, licentiam, et facultatem concedimus per prius, Non obstantis Pij predecessoris, ac alijs predictis, nec non quibuscumq. alijs apostolicis, ac in pro-
 uincialibus, et synodalibus Concilijs editis specialibus, et generalibus constitutionibus, ac dicti Hospitalis iuramento confirmatione apostolica, uel quauis fir-
 mitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus eorumq. contrarijs quibuscunq. Datus Roma apud sanctu Petru, sub annulo Piscatoris die viij.
 Maij. M. D. Lxxij. Pont.

Hofen

Anno

Primo.

Ca: Glorierius: ∞

34/13
1573-5-8

Dilectis in Christo filiabus Priorissæ et Moniali-
bus Monasterij beata Mariæ de Sixena sub cura
fratrum Hospitalis sancti Iohannis Hierosolimi-
tan'. Morden' dioc'. ~ ~
papa p[ro]der saliv acnualecer a
casu p[ro]der conficiendil
maestie

38

68

M. 2.